

### 13.

München, Bayerische Staatsbibliothek, Clm 28644, ff. 240r–242v<sup>1</sup>

#### Ad clerum sermo de beato Ladislao

(1) (f. 240r) „**Accendit lucernam et evertit (!) domum**” *Luce* 15, (8) – Partim vero trahitur ex hodierne festivitatis officio. Reverendi patres et domini doctores, qui doctrinarum iubare ut solis radiis estis illustrati multarumque virtutum pericia laudabiliter solidati, attendite beatum Augustinum in quodam sermone dicentem: „Nemo de suo corde presumat, quando profert sermonem, nemo de suis viribus confidat, dum suffert temptationem, quia ut bona prudenter loquamur, a Deo est, non a nostra sapiencia, et ut mala perferamus, ab illo est, non a nostra paciencia.”<sup>2</sup> „In omni igitur eo, quod nostra [mens] studio didicit, se ipsam deprimat, ne quod virtus scientie congregat, ventus elacionis tollat”, inquit beatus Gregorius in quodam sermone.<sup>3</sup> Sed revera hiis diligenter attentis, dum collaciunculam vestris reverenciis ob sancti confessoris laudem extollendam stilo brevi contrahere meditabar, et in consilio silencio super hac re scrutabundus memoriam propriam consulerem, repente mihi dixit quidam:

- Proposuisti, reclama: fragilis exstat mea cellula et rex turbe (?) non sufficit, debilis est intelligentia et sublimia non percipit, rebellis volituia potentia et opus arduum respuit.
- „Quare anima mea conturbas me?” *Ps.* 41, (6).
- Ita, ut asseris, vires tuas negligenter amisisti, quia cum muliere evangelica lucernam gracie non accendisti, et ignoranciam expellendo domum tuam non evertisti.
- Sed proch dolor, „non est volentis, neque currentis, sed Dei miserantis” ad *Rom.* 9, (16). Quid est, Dominacio celi et terre, cur michi juniori onerosum pondus imponis, cur ad predicandum tantis viris etatem parvulam delegis. „Sperabam enim, quod etas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapienciam, sed ut video, spiritus est in hominibus, et inspiracio Omnipotentis dat intelligenciam” *Job* 32, (7–8).
- Noli igitur timere onus ponderosum, ait Dominus, „iugum enim meum suave est, et onus meum leve” *Matth.* XI, (30). Aput me non etas junior impenditur, aut senior collaudatur, eloquentes plurimos video, senes innumeros, nunc hoc per te impleri precepi, „nemo ergo adolescenciam tuam contempnet” 1 *Thimoth.* 4, (12). „Quid ultra vis, ut faciam tibi?”
- „Raboni, ut videam” lumen (*Mc* 10, 51), nec aliud a te desidero, nisi ut sis „lucerna mea, Domine, et illuminabis tenebras meas” (2 *Rg* 22, 29).
- Obscuritatem intellectus accendo per gracie lucernam, lubricitatem memorie removendo, sic se evertit obliquitatem voluntatis evertendo, ut domum.

Ut ergo meum et vestrum impleatur desiderium, obsecro vos, dominos et patres, „ut adiuvetis me in oracionibus vestris ad Deum” ad *Rom.* XV, (30), ut ibi [in] me velit lucernam scientie accendere, et valeam cum muliere drachmam gracie inveniente dicere michi illud, *Luce* 1<sup>mo</sup>, (30): „Invenisti graciam apud Deum,” pro qua impetranda dicemus devota mente atque pia voce cum angelica „Ave Maria.”

(2) (f 240v) Magistri prefulgidi, ceteri viri studentes industriosi, quoniam vos socialis dilectionis sagitta amena perforavit, et sancti confessoris Ladislai solemnis devote congregavit, ideo „multa michi aput vos” loquendi „est fiducia, et repletus sum consolacione”

<sup>1</sup> München, Bayerische Staatsbibliothek, Clm 28644: *Miscellanea ad usum sacerdotis saec. XV; sermo ad festum S. Ladislai regis, patroni nationis Hungariae Universitatis Viennensis, saec. XV/2.* – (Madas–Horváth 2008, 178–186.)

<sup>2</sup> Augustinus, *Sermones de sanctis*, Sermo 276. – PL 38, 1256.

<sup>3</sup> Gregorius Magnus, *Homiliae XL in Evangelia*, lib. 1, Hom. 7. – PL 76, 1102B.

2 Cor. 7, (4). Venerabilis ergo Hugo in libro *De sacramentis* parte 1, c. IX. dicit: „Incipiens sua Deus ut perficeret, primum fecit lucem, ut cetera omnia faceret in luce, significans se amare opera, quia in luce fiunt, »qui enim male agit, odit lucem, ut non arguantur opera eius, que mala sunt, qui vero facit veritatem, venit ad lucem, ut maifestentur opera eius, quia in Deo facta [sunt]« Ioh. 3 (20–21).”<sup>4</sup> „Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebre sint” *Luce* XI, (35). „Qui enim in tenebris ambulat, nescit, quo vadit” (Io 12, 35). „Sint ergo, dilectissimi, semper lucerne ardentes in manibus vestris” *Luce* (12, 35). Et si aliquociens bone intencionis lucerna tenebrescit, ad illum properate, qui „in manibus lucem abscondit” *Iob* 37, (36, 32). Qui nequaquam lucis sue claritatem vult occultare, qui testam humane nature flamma sue deitatis inplevit. Ipse quippe est, qui lucernam accendit, quod fuit thema propositum, et sub brevitate principaliter introductum. In hiis verbis poterimus intueri clare, qualis fuerit sancti Ladislai regis conversacio vite, fuit itaque persona sanctitate fulgida ardens, ut „lucerna”, eius conscientia provida se vertens ad superna, ut ad „domum”.

In primo „accendit lucernam”, splendide exemplis bonis dum claruit.

In 2º „evertit domum”, rigide corrigendo dum profuit.

(2.1) Pro primi principalis insinuacione adducitur, illud *Iohannis* 5º, (35): „Erat autem lucerna lucens et ardens”, nonne in visceribus suis vocem illam evangelicam condidit, cum legeretur: „Luceat lux vestra coram hominibus, ut videantur opera vestra bona, et glorificant Patrem vestrum, qui in celis est” *Mathei* V, (16). Instar autem huius sancti, viri Ladislai, quisquis litteratus religiosus sive prelatus in vita sua luceat, ut per bona opera proximis lucis exempla demonstret. Ipsilon enim dicitur *Matth.* (5, 14): „Vos estis lux mundi.” Lux, inquam

lucens per exteriorem conversacionem,

ardens per interiorem devocationem,

fervens per operosam execucionem.

(2.1.1) De eo scriptum est, *ad* (1) *Tymo.* 4, (15) „Hec meditare, in hiis esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus.” Unde: „Qui in imitacione sanctitatis positus, aliis lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est, quia sibi ipsi ardet, et alijs lucet”, ut ait beatus Gregorius *super Ezechielem Homelia* 5.<sup>5</sup>

(2.1.2) 2º videat quiscumque clericus, religiosus sive litteratus, ut sit lux ardens per interiorem devocationem, ne forte exterius ut lucerna ardeat, et intus male vivendo conscientiam propriam consumat. (f. 241r) Quia talibus dicitur *Ezechielis* 8, (9 et 12): „Vide abominaciones pessimas, quas faciunt seniores domus Israel, faciunt unusquisque in tenebris, in absconditis cubilis sui et dicunt, non videt Dominus.” „Ve vobis”, qui ita exterius estis splendidi in apparenzia, „intus vero pleni omni immundicia” *Matthei* 23, (25).

(2.1.3) De 3º videat, ut sit lux fulgens per operosam execucionem. Dicit Apostolus et ad (2) *Tym.* (2, 3): „Labora, sicut bonus miles”, commissa tibi exequendo. Et *Ezech.* 3, (17–18): „Speculatorum te dedi domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuncias eis ex me, si dicente me ad impium, morte morieris, et non annunciareris ei, nec locutus fueris, ut avertatur a via impia, et vivat, ipse enim in iniuitate morietur. Sanguinem autem eius de manu tua requiram”, quia „dedi te in lucem gencium” *Isa. XLIX*, (6). Sed quid dicam, ignoro: „scientibus enim legem loquor” *ad Rom.* 7, (1). Video tamen, quod „lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem” *Io. 3*, (19). „Indica mihi, queso, in qua via habitet lux” *Job* 38, (18–19). „Si ad orientem iero, non appetet, si ad occidentem, non intelligam, si ad sinistram, quid agam, non apprehendam, si me vertam ad dexteram, non videbo” *Job* 23, (8–9). Nec mirum „iam enim tenebre facte sunt per universam terram” *Luce* 23, (44), ut eciam pauci reperiantur clerici seu monachi lucidi, quomodo aliis possint exemplariter in devocione lucere: „dum in choro sum solo corpore et in alio negocio mente, nunc intus maneo, nunc foris exeo, aliud canto et aliud cogito, psalmodie verba profero, sed

<sup>4</sup> Hugo de S. Victore, *De sacramentis*, lib. 1, pars 1, c. 8. – PL 176, 193D.

<sup>5</sup> Gregorius Magnus, *Homiliae in Ezechielem*, pars 1, Hom. 5. – PL 76, 823.

sensum eius non attendo, sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc et illuc prospiciens, quecumque ibi geruntur, perlustro, habitum monachi, non conversacionem habens in magna corona et ampla cuculla, salva michi omnia existimo” – inquit Hugo, *De claustrō anime* li. 1.<sup>6</sup> Ecce quomodo illi quondam, ut lucerne ardentes ante Dominum erant, nunc vero obtenebrati et merito per Heli figurati sunt, „qui iacebat in domo Domini, cuius, oculi caligaverunt, nec poterant videre lucernam Dei, antequam extingueretur” 1 *Reg.* 3, (2–3). „Accingite vos, o sacerdotes, et plangite, ullulate ministri altaris” (*Ioel* 1, 13), „sol et luna obtenebrati sunt et stelle retraxerunt splendorem suum” *Iohel* (2, 10). „Sol factus est niger sicut saccus cilicinus, luna tota versa est in sanguinem, et stelle ceciderunt super terram” *Apoc.* 6, (12–13). „Rursum tamen post tenebras spero lucem” *Job* XVII, (12), que cunctis „sanis est iocunda, solis autem egris et peccatoribus est odiosa,” ut ait Augustinus.<sup>7</sup> Talis autem lux iocunda sive lucerna fuit sanctus noster Ladislao, quoniam „in facie prudentis lucet sapiencia” *Proverb.* XVII, (24). (f. 241v) Erat enim lux indeficiens in sanctitate fulgida, ardens ut lucerna, unde „non extinguetur in nocte lucerna eius” *Prov.* ultimo (31, 18). Ex hiis patet liquide, qualiter sanctus iste lucernam accedit.

(2.2) „**Accendit lucernam et evertit domum**” fuit theuma positum in principio, unde de primo principali dixi, [et de] 2º principaliter et conclusive, quod sancti Ladislai confessoris conscientia fuit provida se vertens ad superna, ut ad domum, quam evertit rigide, dum corrigendo profuit. Unde Apostolus, 2 *Cor.* V, (1): „Habemus domum non manu factam”, in qua „Christus tamquam filius in domo sua, que domus sumus nos”, *ad Hebr.* 3, (6). Hanc domum sanctus iste evertit vicia fugiendo et continuis virtutibus se exercendo, ut dicere posset: „Conserua, Domine, domum istam in pollutam in eternum” (2 *Mcc* 14, 36). Et licet quilibet fidelis anima domus Dei sit appellata. Cum magna in erubescencia audeo dicere et timore, quod domus nostra evertitur tripliciter:

primo per iniustiam [...],

2º per pestilenciam, qua evertitur gloria malignorum,

3º per penitenciam machina viciorum.

(2.2.1) De prima eversione habetur *Dan.* 13, (9): „Everterunt sensum et declinaverunt oculos suos, ut non viderent celum, et non recordarentur iudicorum iustorum iudiciorum.” De hac etiam eversione locutus est Innocencius papa III-us in libello *De condicione humanae miserie*, dicens: „»Ve vobis«, inquis iudicibus, qui corrupimini prece vel precio, qui traxi amore vel odio »dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras« *Isa.* 5, (20). Vos enim non attenditis merita causarum, sed personarum, non iura sed munera, non iustiam sed pecuniam, non quidem racio dictat, sed quod voluntas affectat, semper enim aliquid admiscetis »fermenti, quo totam massam corruptitis« (cf. 1 *Cor* 5, 6). Pauperum causas cum mora negligitis, divitum vero causas cum leticia preparatis. In illis rigorem attenditis, in hiis mansuetudinem dispensatis. Illos cum difficultate respicatis, istos favorabiliter tractatis. Clamat pauper et nemo audit, loquitur dives et omnes applaudunt. »Locutus est dives et omnes tacuerunt, sed loquitur pauper et dicunt, quis est hic, et si pauper offenderit, subvertent eum« (*Eccli* 13, 28–29), »clamat vim paciens et nemo exaudit, vociferatur, et nemo est, qui iudicet«. (*Job* 19, 7) (f. 242r) Et si forte causam pauperum suscipitis, remisse foveatis, divitum autem causas pertinaciter adiuvatis. Pauperes despiciatis, divites honoratis, istis reverenter assurgitis, illos despicibiliter conculcatis. »Si introierit ad vos in iudicio vir habens annulum aureum in manu sua in veste candida, pauper vero in sordida, diviti dicetis: Sede hic apud me bene. Pauperi vero, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum« *Iacobi* II, (2–3). Nonne in lege precipitur: »Nulla erit in iudicio distanca personarum, ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia

<sup>6</sup> Cf. Hugo Flavianus, *De claustrō animae*, lib. 1. – PL 176, 1080B–C.

<sup>7</sup> Augustinus, *Confessiones*, lib. 7, c. 16. – PL 32, 744.

iudicium Dei est« *Deuteronomium* 1, (17).<sup>8</sup> Predicta eversio multum est exercibilis et caute fugienda.

(2.2.2) Est autem 2<sup>a</sup> eversio pestilencie, qua evertitur gloria malignorum. *Sap.* 5 (24): „Malignitas evertit sedes potentium”, ita evertuntur symoniaci iuxta illud, *Mathei* 21, (12): „Christus cathedras vendencium columbas evertit”, huius autem miserrime symonie „duo leguntur autores emersisse, unus sub prophetica, alias sub apostolica doctrina. Prius Giezi magister est vendencium, alter Symon [auctor] videtur emptorum, et sicut eorum sectatores in errore non sunt diversi, ita nec in dampnacione erunt divisi”, inquit Hugo, *De sacramentis*, parte X,<sup>9</sup> et „Beatus ergo vir, qui in tali cathedra pestilencie non sedit” *Ps.* 1, (1).

(2.2.3) Est preterea 3<sup>a</sup> eversio penitencie et a peccatoribus merito amplectenda, de qua propheta David „Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me” *Ps.* 117, (13). Dum autem domus nostra sic evertitur, tunc Christus eam inhabitandum invitatur. *Luc.* XIX, (5): „Hodie in domo tua oportet me manere.” Sic fecit Sunamitis mulier, 4 *Reg.* 4, (10), quando dixit: „Faciamus in domo nostra cenaculum, et ponamus in eo lucernam, mensam et lectulum, ut cum venerit vir Dei, maneat nobiscum,” quia

per lucernam Pater domum conscientie illuminat,  
in mensa Filius vinum celeste propinat,  
in lectulo Spiritus amoris quietat.

(3.1) De primo *Iacobus* 1, (17): „Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum”, et *Luce* 1, (79): „Illuminare hiis, qui in tenebris et umbra mortis sedent”, quo ad 2-um dicitur, *Lucas* 22, (29–30): „Ego dispono vobis, sicut dispositus michi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam (f. 242v) in regno Patris mei.” De 3-o habetur *Isa.* XI, (2): „Requiescat super eum spiritus Domini”, silicet „super humilem et trementem verba mea” (cf. *Is* 66, 2), et nunc enim: „Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lune illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam” *Isa.* 60, (19), quoniam habitabis in domo, „que non eget sole neque luna, quia claritas Dei illuminabit illam et lucerna eius est Agnus” *Apoc.* XXI, (23). Hanc lucernam secuntur omnes sancti, quocumque ierit, quam si fueritis etiam secuti, non errabitis iuxta illud: „Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite” *Io.* 8, 12. Quod lumen gracie cordibus nostris hic dignetur infundere et lumen vite in futuro nobis ostendere Iesus Christus, Marie Filius, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus. Amen.

---

<sup>8</sup> Innocentius III, *De miseria humanae condicionis*, c. 4. – PL 217, 718C–D.

<sup>9</sup> Hugo de S. Victore, *De sacramentis*, lib. 2, pars 10, c. 2. – PL 176, 477C–D.